



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De quiete cellicolæ, à turbine seculi. 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ritas cor penitus ab eo separet. Nec mirum, si grauetur & tribulatur ipsa natura, cum instat passio: dummodo tamen spiritus se subdat voluntati & ordinationi eius, manet utique in patiente natura dilectio.

21. *Desolatio habendo cum Christo Iesu.*

Hic itaque pro solatio vnico tibi sit: vbicumq; fueris, & quatercumque tecum transierit, ipsius in te mansionē semper sitas, & omnia consilia tua in eo permaneant. Gratiam eius & presentiam summē caueas violare, quia illo offenso quid pacis habebis? Alta cogitatio & sensus elatus, amor temporalis & affectus visibilium, & quodcumque vile gaudium de creaturis, obnubilat cor etiam sanctum: ne videatur Iesus cum Patre in celo, aut sub matre in praesepio. Inspida fiunt omnia deuota Christi mysteria conuertenti se ad exteriora & inania. Affectus verò affectum vincit: & qui spiritualia sapit, omnia inferiora propter Christum libenter derelinquit.

22. *Vita Christi & sanctorum extra mundam fuit.*

Anecessit nos forma filij Dei, & secuti sunt eum omnes exercitus Sanctorū in albis. Vilipensus est à philochristis omnis decor exterior sensibilium rerum, aurum & argentū, lapides preciosi, varius ornatus vestium abundantia diuitiarum, copiosus apparatus epularum, voluptas carnis, frequentia clientium, effrenatio deliciarum: & omne delectabile & commodum corporis non potuit emollire corda Sanctorum, nec inficere nares eorum, neque seducere oculos eorum, quia florentem mundum mentis despectu calcarunt: cum scirent profectò celestē finem habiturum omne gaudium presentis vitæ, & postea in breui secuturum præmium, quod nullo fine claudetur. His tamen omnibus irretitus est mundus miserabiliter, his insanit libidinibus, his lætatur luti volutabris. Tacere melius est de his, quam immunda purgamenta reuoluere: ne coinquinationis suæ puluerem etiam ad secretum mentis hostis iactet, ne tumultus inferat, ne meliora dirimat, ne occasionem alicuius maculæ ex hac recordatione præbeat, & sustinere non possis.

Apoc. 7.
Spiritualibus cura est etiam tacere de mundo.

23. *De quiete cellicole, à turbine seculi.*

Quam bene agis cellicola, quod spretis seculi tumultibus, confugisti sub vmbraculum Christi, vbi interim repaues quiete felici. Quam sapienter elegisti latere: quam proficue cōharis soli Deo viuere, & eius oculis tantummodo apparere. Si Christum & matrē Christi diligis, si amantes Iesum & currentes post eum deuotē sequeris, non erit in te amor & cura carnis, neque angustus paupertatis locus, neque labor tædiosus, neque tristes solitudo tua, neque silentium non iucundum.